

cessoribus triginta solidi tribuantur. Sed quia canonum auctoritate didicimus episcopales sententias irritas haberi, nisi presentia clericorum suorum contigerit eas roborari, ut rata atque insolubilis æternaliter hæc chartula permaneat, prius signum nostræ paternitatis inseruimus, et exinde datis canonicis nostris duobus modiis vini pro numero personarum, ut mos exigit, manibus eorum confirmandum tradidimus.

Signum Guidonis pontificis. Signum Roberti archidiaconi et thesaurarii. Signum Balduini Pontiviensis archidiaconi et præpositi. Signum canonicorum : Guidonis decani, Salcmonis sacerdotis, Nantaurli sacerdotis, Guicardi sacerdotis, Berengarii sacerdotis, Adelelmi sacerdotis, Werenfridi diaconi.

A Hugonis diaconi, Rotberti diaconi, Petri diaconi, Roriconis diaconi, Rotberti diaconi, Odonis diaconi, Bavonis diaconi, Widonis subdiaconi, Rotberti subdiaconi, Rammandi subdiaconi, Rothberti subdiaconi, Johannis subdiaconi, Rotgeri subdiaconi, Arnulfi subdiaconi, Roriconis acolythi, Andreæ acolythi., Rotberti acolythi, Clari acolythi, Geroldi acolythi Signum laicorum : Veremundi vicedomini, Drogonis Turrensis.

Actum Ambianis infra ecclesiam beatæ Mariæ semper virginis, ante altare sancti Petri apostolorum principis, anno ab incarnatione Domini **MLXVI**, indictione iv. Gonfridus cancellarius legit et perfecto subscripsit.

EPITAPHIUM ANGELRANNI

ABBATIS GENTULENSIS

AUCTORE GUIDONE EPISCOPO AMBIANENSI.

(MABILL., *Act. SS. Bened.*, VI, 507.)

Quem tegit hic tumulus lectissimus *Angelirannus*
 Hujus cœnobii pastor et abba fuit :
 Dux gregis Ecclesiæ, monachum spes inclita vitæ,
 Vixit et in mundo mundus, et in Domino

EJUSDEM GUIDONIS VERSUS DE EODEM.

Abbas *Angelrannus* loculo quæ paucula nostro
 Contulit, hic retinet scriptus qui cernitur albus.
 Sancti Vincenti, necnon Sancti Benedicti
 Ecclesiam struxit, cellam infirmisque paravit.
 A fundamentis instauravit paradisum :
 Altaris Petri tabulam componere fecit :
 Thuribula ex argento etiam conflare gemella.
 Librum Evangelii, sancti Vitamque Richari
 Ipsius studium mero argento decoravit.
 Est et Episto-liber-larum atque Evangeliorum
 Ipsius argento quem industria nempe paravit.
 Ipsius atque calix studio præclarus haberi
 Cernitur adjuncta sibimet cum lance decenti.
 Præter et hunc alius quem in missis semper habebat :
 Unum dorsale, et tria pallia quam pretiosa.
 Terras servavit pervasas, atque redemit :
 Sicut Noguerras, Gaspannas, et Drusiacum ;
 Guibrenti ecclesiam, Froocort, montisque Rochonis ;
 Ecclesiam Sacri Campi, discrimine diro
 Dum plures trahitant, ut pars contraria vincat,
 Detractus multis multa et perpessus iniquis,
 Quæ supra retuli, necnon quamplura peregit,
 Actum sic ut sit Domini scientia novit ;
 Excedunt libri numerum quos ipse novavit.